

variorum Scripta Philosophica, Physica, Mechanica, Mathematica, Curiosa, selectis Contemplationibus & Experimentis plena compingent. Sed ut ad Tractatus Juridicos redeam, confectis illis Pandectis Juris, de quibus mox, poterimus Tractatibus facile carere. Præsertim cum in iis sæpissimè vix dimidia pars ad ipsam materiam pertineat. Legat mihi aliquis ex. gr. *Th. Sagittarii* de Comitibus Palatinis Tractatum, mirabor, si decimam partem de proposita materia agere dicet.

§. 84. Diximus de *Collectione Controversiarum diffusa*, qualis facta est, dicamus, *qualis fieri debeat*. Ubi iterum videamus tum de *Præparatoriis*, nempe *Repertoriis*; tum de *Syntagmate ipso*, quod dicemus *Pandectas Juris*. *Repertoria ab aliis varia confecta sunt*, quid nobis videatur subjiciemus. *Aliorum conatus* quod attinet, extat *Brederodii* Repertorium Juris Civilis, tanquam *Index Legum Justinianæarum*, quem  
uti-